

justificationem, ut Paulum et Magdalenam, tunc justificatione recte dicitur miraculosa.]

DISSERTATIO VI

DE MERITO JUSTI

D. Thomas, q. 114.

ARTICULUS I

Quid et quotuplex sit meritum? quas conditiones requirat?

Meritum latius sumptum significat dignitatem rei ob quam exigit aliquid, et sic convenit etiam inanimatis: sic dicitur quod elegans pictura mereatur videri, quod ager fertilis mereatur coli. Meritum proprie sumptum convenit actibus tantum, estque proprietas actus humani moraliter boni dicens proportionem ad præmium; loquimur enim hic de merito in bonam partem, non in malam, quod distinctionis causa dicitur demeritum.

Duplex distinguitur meritum, unum *de condigno*, alterum *de congruo*. Meritum de condigno est opus cujus valor æquat valorem præmii et cui redditur præmium ex justitia. Meritum de congruo est opus cujus valor non æquat valorem præmii, et cui non debetur præmium ex justitia, sed ex congruitate tantum et decentia, amicitia seu liberalitate præmiantis.

Meritum de condigno est proprie et simpliciter meritum, meritum de congruo improprie tantum et secundum quid, quia non habet æqualitatem ad id quod ejus intuitu datur. Exemplum poni solet in milite generoso, cui proprium stipendium datur de condigno, de congruo autem beneficium nobilitatis aut aliquod donativum a rege.

Meritum de condigno est duplex, unum de rigore justitiæ, aliud de condignitate tantum. Primum sic importat

valorem æqualem ad præmium, ut excludat omnem gratiam factam personæ merenti a præmiante, et tale fuit meritum Christi. Alterum importat quidem valorem æqualem ad præmium, sed supposita aliqua gratia facta personæ merenti a præmiante, et de hoc merito apud Deum hic præcipue agitur.

Conditiones requisitæ ad meritum.

Sex conditiones requiri solent ad meritum: prima, ut opus sit liberum; secunda, ut sit bonum; tertia, ut fiat in obsequium præmiantis; quarta, ut operans sit viator; quinta, ut sit in statu gratiæ; sexta, ut ejus opus sit a Deo ordinatum in præmium.

Explicatur sexta conditio, de qua est aliqua difficultas.

Sexta conditio¹ est ordinatio seu promissio et pactum Dei ordinantis bonum opus ad præmium seu mercedem: non quod bonum opus valorem seu condignitatem suam intrinsecam habeat ab illa promissione; sed quia ultra dignitatem, quam totam habet ex gratia, necessaria sit promissio de mercede reddenda, ad hoc ut qui ex gratia est bene operatus, habeat jus ad mercedem, et Deus obligetur illi reddere. Ita communiter contra Vasquez et quosdam alios.

*Probat*ur 1^o ex Scriptura. *Matth.*, xx, paterfamilias, per quem significatur Deus, conventionem fecit cum operariis de denario diurno. 2^o Ita definivit Trid., sess. vi, cap. 16^o. 3^o Idem docet Augustinus, serm. 158^o. 4^o Tandem ratione probatur. Meritum importat in merente jus ad bonum præmiantis, et in præmiante obligationem ad illud red-

1. Hic q. 114, a. 1, ad 3, et a. 2, o. — 2. « Bene operantibus usque ad finem et in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, et tamquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, et tamquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda. » — 3. Olim 16 de verbis Apostoli.

dendum. Atqui, quantumvis sit bonum opus hominis, non potest, seclusa Dei promissione, parere in homine jus ad bonum Dei, neque in Deo obligationem ad illud reddendum. Ergo. — Prob. min. Ex bonis operibus jam aliunde debitis Deo, homo non acquirit jus erga Deum, nec Deus obligatur reddere illi aliquod præmium, nisi illud promiserit. Atqui omnia quæcumque bona hominis sunt debita Deo pluribus aliis titulis, puta creationis, supremi dominii, ultimi finis, etc. Ergo.

[Addi potest septima conditio requisita ad meritum, scilicet influxus charitatis. Meritum enim quo obtinetur præmium essenziale, fundatur in sola charitate, in qua perfectio vitæ essentialiter consistit. Consequenter meritum nulli alteri virtuti competere potest, nisi ex motione et imperio charitatis ad illud. Hinc I Cor., xiii, 2 et 3, dicitur : *Si charitatem non habuero, nihil sum, nihil mihi prodest.*]

ARTICULUS II

Utrum homo possit aliquid mereri a Deo?

Dico : Homo justificatus potest vere et proprie a Deo mereri aliquid, etiam ipsam vitam æternam.

Est de fide decisum in variis concil. Arausicano II, can, 18; Lateranense IV, sub Innocentio III, cap. *Firmiter*; ultimo in Trid., sess. vi, cap. 16 et can. 32, contra Lutheranos et Calvinistas, qui cum contendant omnia opera esse mala, nullum in eo agnoscunt opus quod sit meritorium saltem vitæ æternæ.

Probatur 1º. Per meritum nihil aliud intelligimus quam bonum opus comparatum ad mercedem. Atqui Scriptura passim nobis proponit vitam æternam bonis justorum operibus reddendam. Ergo. — Prob. min. *Matth.*, v, 12, dicitur : *Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis.* *Ibid.*, cap. xix, 27-29, Petro interroganti quæ merces erit derelinquenti terrena pro Christo, respondet

Christus : *Centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.* Et cap. xx, id explicat exemplo patrisfamilias qui in mercedem exigui laboris reddit operariis denarium diurnum. *Hebr.*, xiii, 16 : *Beneficentiæ et communionis nolite oblivisci; talibus enim hostiis promeretur Deus.* II *Tim.*, iv, 8 : *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus justus judex.* *Hebr.*, vi, 10 : *Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri.* Et similiter passim. Ergo, juxta Scripturam, bonis justorum operibus promittitur, non qualecumque præmium, ut dicunt sectarii, sed ipsa vita æterna; non ex sola liberalitate et misericordia, ut dicunt alii, sed ex justitia, ideoque ut merito proprie dicto.

Probatur 2º. Deus confert homini per gratiam virtutem bene operandi, et ejus operibus ex gratia factis promittit certum præmium, imo et ipsam gloriam, ut modo dictum est; omnes aliæ conditiones requisitæ ad meritum possunt concurrere, nulla enim repugnat. Ergo potest homo mereri etiam ipsam gloriam.

ARTICULUS III

Utrum opera justorum quæ sunt ex gratia, sint meritoria de condigno vitæ æternæ?

Non intelligimus hic meritum de condigno, cui debetur præmium ex justitia. Cum enim operibus justorum, quantumvis bonis et ex gratia factis, non debeatur merces nisi ex ordinatione et acceptatione Dei, qui possit illa non ordinare nec acceptare ad præmium, ut diximus, consequens est quod opera justi non sint, hoc sensu, proprie et intrinsece meritoria de condigno, sed tantum extrinsece, ex ordinatione et acceptatione divina.

Verum, quia condignitas, ut vox ipsa sonat, dicit æquam dignitatem inter duo, meritum condignum dicit æquam dignitatem operis ad præmium. Itaque meritum de condigno, prout hic intelligimus cum Authore, est inter quod et præmium est æqualitas valoris, seu quod est tanti valo-

ris in ratione meriti, quanti est præmium in ratione præmii. Et hoc sensu quærimus utrum opera bona justorum sint meritoria de condigno gloriæ, seu utrum valor operis ex gratia æquet excellentiam gloriæ, licet aliunde, ut sit debita a Deo ex justitia, requiratur ejus ordinatio et acceptatio. Hoc ergo sensu,

Dico : Opera justorum ex gratia inhabitante et movente facta, sunt proprie et intrinsece meritoria de condigno vitæ æternæ¹.

*Probat*ur 1^o ex Scripturis sacris, quibus justii per opera bona dicuntur digni Deo et vita æterna. *Sap.*, iii, 5 : *Deus tentavit illos, et invenit dignos se. Coloss.*, i, 10 : *Ut ambulatis digne Deo. II Thessal.*, i, 4 et 5 : *Sic omnes tribulationes sustinetis, . . . ut digni habeamini regno Dei.*

*Probat*ur² 2^o. Meritum de condigno est cujus valor æquat excellentiam præmii. Atqui valor operum, ut sunt a Spiritu sancto et ex gratia inhabitante et movente, æquat excellentiam vitæ æternæ. Ergo. — Prob. min. 1^o Sunt ordinis supernaturalis et divini, sicut ipsa gloria. 2^o Condignitas eorum attenditur tum secundum virtutem Spiritus sancti, qui *Joann.*, iv, 14, dicitur *fons aquæ salientis in vitam æternam*, id est, principium operationum ad illam conducentium ; tum secundum dignitatem gratiæ, qua homo fit consors naturæ divinæ, proindeque potest operari digne Deo. Ergo.

Confirmatur. *Ephes.*, i, 14, gratia dicitur *pignus hereditatis nostræ*. Pignus autem valet tantum quantum valet res, aut plus, ut dicit Author in hunc locum, lect. 5. Ergo.

[*Obj.* effatum apud theologos receptum : Deus remunerat justos ultra condignum. Ergo.

Resp. Nego conseq. Quod enim Deus remuneret ultra condignum, non sic intelligendum est, quasi opera justorum non mereantur de condigno vitam æternam, sed

1. *Ibid.*, a. 3, o. — 2. *Ibid.*

quod ultra gradum gloriæ quem de condigno merentur, Deus ex sua liberalitate aliquid amplius addat ; quod non negamus. Quid sit autem illud, quamvis non sit facile explicare, verisimile est tamen quod sit quædam perfectio visionis seu fruitionis beatificæ major quam mereantur opera.]

ARTICULUS IV

De his quæ cadunt sub merito.

Præter vitam æternam, quæ, ut patet ex dictis, est objectum præcipuum meriti, sunt plura alia de quibus disputatur, an cadant sub merito, quæ hic discutienda suscepimus.

Sed ante omnia, ut tollatur æquivocatio et quædam opiniones contrariæ circa meritum de congruo concilientur, observandum est, nos distinguere ex Authore hic a. 6, o, duplex meritum de congruo, unum proprium et strictum, alterum latum et improprium. Meritum de congruo proprium et strictum reponimus in jure amicabili ad præmium, per quod distinguitur a merito de condigno, quod importat debitum justitiæ. Meritum de congruo late et improprie sumptum reponimus in exigentia formæ per modum dispositionis aut impetrationis.

Petes 1^o utrum homo possit sibi mereri primam gratiam.

Resp. Nemo potest sibi mereri primam gratiam habitualem, neque de condigno, neque de congruo proprio, sed improprio tantum¹.

Dixi, « primam gratiam habitualem, » quia de actuali nullus catholicus dubitat. Ita quippe definitum est contra Pelagianos, quam definitionem innovat Trid., sess. vi, cap. 5², et patet ex his quæ supra diximus, nullum ex

1. *Ibid.*, a. 5, o. — 2. « Tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agit,

viribus naturæ nequidem posse se disponere ad illam primam gratiam actualem.

Probatur prima pars, quæ etiam videtur de fide, 1^o ex Scriptura. Rom., iii, 24: Justificati gratis per gratiam. Et ex concil. Trid., sess. vi, cap. 8, ubi exponens præfata Apostoli verba, dicit: « Gratis justificari ideo dicimur, quia nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur.

2^o Principium meriti non potest cadere sub merito, ut infra magis explicabimus. Atqui prima gratia est principium meriti. Ergo.

Probatur secunda pars. Meritum de congruo proprie sumptum consistit, ut diximus, in jure amicabili ad præmium; unde ad illud requiritur, non solum congruitas operis, sed etiam operantis, ut scilicet sit gratus præmianti, non illi infensus, nec ejus beneficiis indignus, qualis est tamen homo in statu peccati ante justificationem. Ergo.

Tertia pars *constat*; quia opera bona præcedentia justificationem et orationes peccatoris humiliati et pœnitentis, exigunt gratiam per modum dispositionis et impetrationis, in quo reponimus meritum de congruo late sumptum.

Petes 2^o utrum justus possit alteri mereri primam gratiam.

Resp. Nullus, præter Christum, potest alteri mereri primam gratiam de condigno, bene tamen de congruo¹.

Probatur prima pars². Opus nostrum habet rationem meriti de condigno ex vi motionis divinæ gratiæ, et sic homo justus ea tantum proprie et de condigno meretur, ad quæ se extendit motio divinæ gratiæ. Atqui gratia puro homini collata est particularis, ipsumque movet ad

inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abicere potest; neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate potest. » — 1. Ibid., a, 6, o. — 2. Ibid.

propriam perfectionem et salutem, non vero ut alios sanctificet; id namque proprium est gratiæ capitis et universalis, qualis fuit in Christo, quæ secundum præsentem providentiam nulli particulari justo conceditur. Ergo.

Probatur secunda pars; quia, cum homo in gratia constitutus, Deo gratus et amicus, impleat ejus voluntatem, congruum est, secundum amicitiam proportionem, ut Deus impleat voluntatem hominis in salvatione alterius, modo tamen non adsit impedimentum nimie obstinationis aut aliud ex parte illius cujus aliquis sanctus justificationem desiderat.

Petes 3^o utrum justus possit sibi mereri reparationem post lapsum.

Resp. Nullus potest sibi mereri reparationem post lapsum, neque merito condigni, neque merito congrui proprie¹.

Probatur prima pars. Meritum de condigno dependet ex motione divinæ gratiæ, ideoque non se extendit ultra illam. Atqui ista motio interrumpitur per peccatum, sicque non se extendit ad beneficia peccato posteriora. Ergo.

Confirmatur 1^o. Omnia merita quæ justus sibi comparavit, suspenduntur et impediuntur per peccatum sequens. Ergo hoc peccatum vi istorum meritorum non potest tolli, nec per consequens homo lapsus reparari.

Confirmatur 2^o. Homo justus non potuit mereri ut præmium conferretur indigno. Atqui homo lapsus est indignus. Ergo.

Confirmatur 3^o. Si justus mereretur de condigno reparationem post lapsum, illam infallibiliter obtineret, sicque omnes justus essent prædestinati, utpote finaliter ad gratiam restituendi. Ergo.

Probatur secunda pars. Meritum de congruo proprie sumptum importat jus amicabile ad præmium, ita ut non sit tantum congruitas et aptitudo ex parte operis, sed

1. Ibid., a, 7, o.

etiam operantis. Atqui justus non habet jus amicabile ad reparationem post lapsum, quia per peccatum perditur Dei amicitia, fit indignus ad divina beneficia, ideoque suspenditur omne meritum præcedens, sive condigni, sive congrui.

Quæ opponi possunt contra secundam partem, intelligenda sunt de merito congrui improprie et late sumpto pro congruitate et aptitudine ex parte operis, non ex parte operantis, quia peccando amisit jus amicabile ad reparationem et se reddit indignum divinis beneficiis.

Petes 4^o utrum homo justus possit sibi mereri augmentum gratiæ vel charitatis.

Resp. Homo justus potest sibi mereri de condigno augmentum gratiæ vel charitatis¹, juxta illud Augustini, *Tract. v in Epist. Joann.* : « Charitas meretur augeri, ut aucta mereatur perfici². » Ita definiuit sub anathemate concil. Trid., sess. vi, can. 32³. Et constat ex Scriptura, quæ toties nos hortatur ad illud augmentum per bona opera consequendum, ut *Ephes.*, iv, 15⁴, et alibi.

Ratio est⁵, quia illud sub merito condigni cadit, ad quod motio Dei se extendit; motio autem alicujus moventis non solum se extendit ad ultimum terminum motus,

1. *Ibid.*, a. 8, o. — 2. Hic non referuntur verba, sed sensus Augustini ibi dicentis, n. 4 : « Numquid mox ut nascitur [charitas], jam prorsus perfecta est? Ut perficiatur, nascitur; cum fuerit nata, nutritur; cum fuerit nutrita, roboratur; cum fuerit roborata, perficitur; cum ad perfectionem venerit, quid dicit? *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum. Philipp.*, i, 21. » Quod incrementum, usque ad perfectionem, non fit nisi supposito merito ut hic intelligitur. — 3. « Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita, aut ipsum justificatum bonis operibus quæ ab eo per Dei gratiam et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, et ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema sit. » — 4. *Veritatem autem facientes in charitate, crescimus in illo per omnia, qui est caput Christus.* — 5. Ubi supra, a. 8, o.

sed ad totum progressum in motu. Atqui terminus motus gratiæ est vita æterna, progressus vero in hoc motu est secundum augmentum gratiæ vel charitatis, secundum illud *Prov.*, iv, 18 : *Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem, qui est dies gloriæ.* Ergo.

Petes 5^o utrum homo possit sibi mereri donum perseverantiæ finalis.

Resp. Nemo potest sibi mereri de condigno perseverantiæ finalis donum. Ita communiter cum Authore¹.

Probatur 1^o ex principio Authoris² ab omnibus recepto. Principium meriti non cadit sub merito operis ab ipso principio procedentis; nihil enim potest esse sui ipsius meritum et præmium, causa et effectus. Atqui, si perseverantiæ donum caderet sub merito, principium meriti caderet sub merito operis ab ipso principio procedentis. Ergo. — *Prob. min.* Donum perseverantiæ consistit in divina motione conservativa gratiæ primum datæ. Atqui motio divina, ut conservativa gratiæ, est principium meriti, seu se tenet ex parte principii. Ergo. — *Prob. min.* Motio divina, ut conservativa gratiæ, est eadem entitative ac prima productio gratiæ; conservatio enim rei est continuata ejusdem rei productio, consequenter actio conservativa rei non distinguitur entitative a prima ejus productione, dicente Authore^{1a} p., q. 104, a. 1, ad 4 : « Conservatio rerum a Deo non est per aliquam novam actionem, sed per continuationem actionis quæ dat esse; quæ quidem actio est sine motu et tempore : sicut etiam conservatio luminis in aere est per continuatum influxum a sole. » Atqui prima productio gratiæ est principium meriti, seu se tenet ex parte principii. Itaque, sicut nemo potest mereri suam conservationem, quia conservatio non est actio distincta a creatione, quæ non cadit sub merito; ita nemo potest mereri perseverantiam in bono, quia nihil est aliud quam gratiæ conservatio, quæ non

1. *Ibid.*, a, 9, o. — 2. *Ibid.*

distinguitur a prima ejus productione, quæ non cadit sub merito, ut probatum est supra.

*Probat*ur¹ 2°. Omne quod quis meretur de condigno, illud a Deo obtinet infallibiliter, nisi impediatur per peccatum. Si ergo perseverantia caderet sub merito, cum vix ullus justus sit qui non habeat opera meritoria, vix ullus esset qui non haberet donum perseverantiæ, contra illud *Matth.*, xx, 16 : *Multi vocati, pauci electi.*

*Probat*ur 3°. Ad meritum de condigno requiritur promissio Dei, seu pactum reddendi mercedem pro opere. Atqui Deus nullibi promisit perseverantiam bene operantibus, quin e contra clamat Scriptura, etiam justos debere cum metu et tremore operari suam salutem, *Philipp.*, II, 12, et eum qui stat debere esse sollicitum ne cadat, *I Cor.*, x, 12. Ergo.

Restat ergo donum perseverantiæ cadere sub merito de congruo tantum. Quidam dicunt de congruo proprie, alii de congruo late sumpto pro impetratione ex liberalitate et benignitate Dei.

1. *Ibid.*, in arg. *Sed contra.*

APPENDIX

AD DISSERTATIONES DE SCIENTIA MEDIA, DE GRATUITA
PRÆDESTINATIONE ET DE GRATIA PER SE EFFICACI.

Cum integrum tractatum super hac materia limites nobis præscripti non patiantur, ea solummodo adjungere nobis licebit, quæ in argumentis recentiorum Molinistarum solvendis a Billuartio omissa videri possent. Dicemus itaque 1° de quibusdam factis ad historiam pertinentibus, 2° de scientia media, 3° de gratuita prædestinatione, 4° demum de præmotione physica.

I. — DE QUIBUSDAM FACTIS HISTORICIS

1° *De Cardinalium congressu habito coram Paulo V, die 28 aug. 1607*¹.

Refertur repertum fuisse Pauli V autographum quoddam, in quo narratur, e novem congregatis Cardinalibus tres, scilicet Pinellum, de Bubalis et S. Eusebii, non aperuisse sensum suum super re controversa; quatuor autem, scilicet Asculanum, de Giuri, Bianchettum et Arri-gonium, pro Dominicanorum parte stetisse; duos demum, scilicet Bellarminum et Perronium, affirmasse opinionem prædeterminationis physicæ esse Calvinæ et Lutheri, et damnatam fuisse a conc. Trid. his verbis, sess. vi, cap. 5 : « Homo potest abjicere gratiam. » Quibus auditis, Paulus V ita pronuntiavit : « In gratia Domini definitum a concilio necessarium esse quod liberum arbitrium moveatur a Deo; difficultatem in hoc verti, an moveat physice vel moraliter... Sententiam Prædicatorum plurimum differre

1. Cfr. quæ de hoc congressu jam dicta sunt in trat. *de Deo*, dissert. VI, cap. 6, § 6.